

nos, qui tulimus, fatemur ingenuè, non est ficulneus, non marmoreus, non conjugatus Deus noster, quemadmodum dii veltri, sed invisibilis est, incomprehensa natura, in spiritu nobis loquens, mentibus insidens nostris, nil mortale, nil hujus mundi habens. Cujus opera etiamnum sentires, si hominem tam referres nobis, quam Brutum. Et sentiam, clamat truculenta voce Præses, tum longe majora tormenta parat. Hic lectorem admonuimus, Historiam esse hoc in loco variatam. Alii enim plumbum calidum ori Sanctorum infusum, alii rotis inflexos omnibus ruptis membris, nonnulli candente unco laceratos scribunt. Ego postremum facilius crediderim, nam rotis ita tortos, ut hodie Germani & Helvetii latrones plectunt, à Romana consuetudine longissimè abfuit, quanquam rotis alligari, & in vertiginem rapi adhuc consuetudo manet in Galliis, à Romanis ne inducta, an à barbaris, incertum. Cæterum, ut ad finem nunc festinemus, Decius cum videret neque minis, neque tormentis illos, ut Diis sacrificarent, compelli posse, capite plectendos tandem præcepit, Hoc enim Imperatorum consuetudine fieri sciebat. Locus erat in medio fermè Limaggi, ubi hodie inclitum sacellum in urbe Tigurina



gurina constructum est, patens a spectibus ex utraque ripa, lapis item positus, in quem puniendus una cum lictore ascendebat. Qui hodie quoque illic ostenditur. Huc posteaquam ventum est, magno animo beati, oratione facta ad Deum, lictori cervicem cedendam præbuerunt: Porro audita dicitur vox è cælo: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Sed ecce rem miram, quæ magna Dei opt. max. virtus in suis sanctis, surgunt jugulati, apprehensis capitibus in alteram ripam deveniunt, clivus erat in quo nunc Templum eorum Tiguri est, quadraginta à littore passibus, hunc continuo ascendunt, procumbunt, sepeliuntur, & aderant, qui idem factum fuisse Lutetiæ à Dionysio quodam dicerent, neque enim è memoria hominum ingens miraculum aliquot secula delere potuerunt. Mansit fides in pluribus, qui miracula viderunt, nec ita multò post cum res Christiana melius habere cepisset, tota urbs sacra Christi suscepit. Deinde Carolus M. hos tres inter divos retulit, extructo, ut ante diximus, magnifico Templo. Passi sunt tyrannidem tertio Id. Septembris An. à Christi natali, si Chronicis Eusebii credimus, CCXC. Eodem enim anno Bugarida.